

18. 353.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,  
*DE*

# CONVERSI<sup>Q</sup>NE MORBI BENIGNI IN MALIGNUM SIVE GENERA- TIONE VENENI IN CORPO- RE PER IMPERITIAM MEDICI,

*IN ALMA REGIA ET ELECT. FRIDERICIANA,*

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,*

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**Dn. FRID. WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS BRANDENB.  
AC PROVINCiarum HÆREDE &c. &c.

*P R A E S I D E*

**DN. FRIDER. HOFFMANNO**  
D. MED. ET PHIL. PROF. PUBL. MEDICO REGIO ET ELECT. AULICO,  
atque h. t. FAC. MED. DECANO,

*P R O L I C E N T I A*

Summos in arte medica Honores & Privilegia Doctoralia  
adipiscendi,

*ad d. XII. Decembris MDCCXI. boris ante-5° pomeridianis*

*Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet*

**CHRISTIANUS ZWEIGEL.**

Vratisl. Siles.

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*

Typis JOHANNIS GRUNERI, Acad. Typogr.



СВЯТАГО ПАПЫ ПІО  
ІІІ ПІДАЧІ СІМ.  
ІІІ ПІДАЧІ МОЛІТЬ  
ІІІ ПІДАЧІ СІМ.  
ІІІ ПІДАЧІ СІМ.

ІІІ ПІДАЧІ СІМ.

ІІІ ПІДАЧІ СІМ.

ІІІ ПІДАЧІ СІМ.

ІІІ ПІДАЧІ СІМ.

ІІІ ПІДАЧІ СІМ.

ІІІ ПІДАЧІ СІМ.

ІІІ ПІДАЧІ СІМ.

ІІІ ПІДАЧІ СІМ.



354

## DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA.

DE

CONVERSIONE MORBI BENIGNI IN MALI-  
GNVM, SIVE GENERATIONE VENENI IN  
CORPORE PER IMPERITIAM  
MEDICI.

## PROOEMIUM.



Lura in Medicina sæpius eveniunt,  
quæ tum à scopo Medici, tum à Me-  
dicaminum effectu planè sunt alie-  
na, & quæ evenire nec posse nec  
debere peritior quidam crederet.  
Etenim inexhausta naturæ micro-  
cosmicae vis ac potentia est, præ-  
fertim in certis individuis. Quan-  
doque ita favori Medicorum natura militat, ut etiam  
contrariorum remediorum usum in commodum  
suum convertat, interdum autem præter omnem ex-  
spectationem remedia optimâ ratione adversus vim  
morbi opposita spernit, eludit, eorumque operationi  
resistit, ut ægerrime scopum suum Medicus consequi  
possit.

A 2

possit.

possit. Sunt hæc fata naturæ, quæ vel in bonam vel  
in malam ægrotorum sæpiusculè cedunt partem. Ma-  
jus autem quid est, tale fatum, quod ægro accidit per  
errorem, culpam vel ignorantiam Medici. Turpe,  
evidem dictu est, ast minime inficiandum, perire mul-  
tos ex medentum inficitia, qui morbi naturam ac ge-  
nium non penetrant, neque individua aut morbi tem-  
pora dignoscere sciunt, sed perversâ plane methodo  
vel medicina utuntur, quô fit, ut non modo vehemen-  
tia morbi augeatur, sed & insolita & exitiosissima sym-  
ptomata provocentur, quin imò morbus benignus in  
malignum funestum in modum convertatur. Imitan-  
tantur hac in re imperiti Medici malos advocationes,  
qui bonam causam sæpius pessimè defendunt, vel eam  
incauta tractatione ita lœdunt, ut nullius remedii spes  
amplius maneat relicta. Per exempla hoc confirma-  
re, quod ad forum nostrum attinet, cum quotidiana  
vibivis existet experientia, nimis foret longum; id tan-  
tum in præsentiarum evincere conabor, temerarium  
& imperitum Medicum præpostérâ sua methodo for-  
male venenum intus in humani corporis fluoribus  
de novo producere & generare posse, ex humore &  
materia in se malignitatis experte. Credidi argu-  
mentum hoc esse in praxi Medicæ haud ignobile, quod  
mereatur accurrationem evolutionem & tractatio-  
nem, quam sub favore divini sulcipere jam loco spe-  
ciminis inauguralis placet.

§. I.

## §. I.

 Um demonstrare animus sit, formale venenum per male & intempestivè administrata medicamenta posse Corporis nostri succis ingenerari, quod vitales motus pervertere & præsentissimum exitium afferre sit idonem, per quam utile fore censeo, prius exponere, quid per venenum intelligamus. Constat autem unanimi Medicorum sententia, veneni naturam & essentiam in eo positam esse, ut brevi tempore & valdè exili quantitate totius corporis œconomiam evertat, motus vitales & animales turbet vel planè destruat. Videntur autem hæc quatuor esse essentialia veneni requisita, ut exiguo tempore adeoq; celeriter operetur, secundo si quantitatem species paucâ mole damnū, tertio Spasmos inducat & Sangvinis motus invertat viresque destruat. Quarto ut medicamentorum vires si sanguini, & succo nerveo comixtum fuerit, eludat. Evidem non ignotum est, veneni nomen latius paulò extendi, adeò ut etiam omnis valida morbi causa & corruptionis species in corpore malignitatis & venenositatis titulum in praxi medica recipiat. Nos autem strictè hic vocabulum hoc sumimus, respiciendo maximè ad ejus actionem non tam corpoream, sed virtualem quâ celerrimè validissimas destructorias sangvinis & spirituum motiones fuscitat.

§. 2. Id itaque hoc loco jam annotare aggredimur; possitne tale venenum in animalis corpore nasci, vel à Medico per medicamenta naturâ suâ virulentiae expertia generari atque produci? Hanc scitu & explicatu dignissimam rem antequam dissolvamus, opus

est ut prius notas essentiales & symptomata propria accepti veneni pernoscamus, ut ex his cognitis ducer nere postea queamus, num similes proficii à veneno per artem ingenerato possint. Tametsi autem symptomata pro diversa veneni indole varient, in eo tamen maxime convenire videntur, quod post epotum lethale venenum repentina virium prostratio cum Syncope, pulsuum defectione extremonrum refrigeratione & auxietate in credibili sequantur, quibus jungi solent singultus, morsus & ardor ventriculi, atrocissima abdominis tormina, cardialgia, & ejectiones nigrae vel per vomitum vel per alyum, urinæ suppressio vel mingendi desiderium: tandem circa animales functiones insania, tremores, rigores, vertigo, epilepsia, artuum convulsiones se sistunt, quæ vitæ comœdiam claudunt. Ubiunque autem eadem vel similia licet non omnia confestim oriantur symptomata, ibi venenum vel veneno simile quipiam præsens esse dicendum est. Non tamen hic prætereundum silentio est, quod sicuti venena gradu differunt, & alia aliis sunt valentiora, ita etiam operationes & effectus quos edunt gradu quodam sint distincti, tam ratione vehementiæ, quam ratione celeritatis, cum unum præ altero celerius vel tardius agat & noceat.

§. 3. Perspectis jam signis & symptomatibus venorum propriis, devolvimur jam ad principium eorum agendi & operandi. Veteres fere omnes ad occultas qualitates & spirituosam quandam actionem refugium sumserunt; verum enim vero nos, sub ho dierna Medicinæ facie, ubi ex motuum legibus & materiæ affectionibus, sive mechanice tam ea quæ in macri-

macrocosmo, quam in microcosmo eveniunt, solide & curiose solent eyplicari, contenti talis modi inanibus vocabulis esse non possumus, sed quæ propinquiora sunt, & quæ in sensu incurruunt principia debent in subsidium advocari. Jam verò si universam classem Venenorum, quæ larga manu in triplici regno prostant & lethalibus infamata exemplis sunt, paulo attentius perlustremus, ex perimenta faciendo per sensus & à posteriori judicando, certissime apparebit, universa, quæ veneni nomine vulgo suspecta sunt, ex partibus composita esse summè tenuibus, agilissimis, adeoque penetrantissimis & mobilissimis, denique etiam acerrimis causticis, corrosivis plus minus sulphuri immersis, quibus instar fulguris totum corpus perreptant, poris nervorum ac fibrillarum intimius se insinuant, quas validissime arrodunt, vellicant, stimulant, siveque horribiles spasmos efficiunt, quos mox totius circuli sanguinei ingens turbatio, omniumque excretionum immutatio & functionum corporis impedimentum subsequitur. Brevibus: Venena agunt validissime, circulum sanguinis a quo vita pendet, invertendo, idque per substantiam corpoream summe corrosivam, quod assertum clarissimum apparebit, si paulo specialius per exempla ire velimus. Tarantula, Scorpio, Aranea, Cantharides, Vermes majaes sale caustico summe tenui inflammatorio vesicante prædicta suut, ut etiam in corpus nec externe, nec interne sine noxa quadam adhiberi possint. Ex vegetabilium censu, purgantia validiora, uti gummi guttae, euphorbium, elaterium, Colocyntidem, catusputiam, esulam, veneni quid alere, constans practico-

rum

rum sententia est, cum symptomata gravissima, spastic & inflamatoria, quæ eorum improvidum usum sequuntur, id diserte ostendant, jam autem non alio, quo operentur principio, quam acri tenui caustico, tam gustus, quam vesicans & erodens fauces, intestina, nec non stimulans nares virtus prodit. Napellum, cicutam, aconitum & fungorum nonnullorum species deleteriam & exitialem vim possidere, tristissimis passim exemplis notatum est, quo autem alio quam caustico igneæ naturæ penetranti operentur elemento, adhuc nemo reperit. Insuper hiosciamus, mandragora & solanum sic dictum furiosum inter comperta & multiplici experientia teste venena referre nemo dubitat. Agnoscant & hæc nullum aliud principum, quam fœtidum quoddam sulphur, cui salina, acria causticæ indolis spicula immersa sunt. Ex eodem genere etiam est tabacus, cuius oleum vulneri inditum Borellus credidit summe venenatum. Emeticæ etiam & purgans vis, nec non insolentia tetra, quæ recentes potatores afficiunt pathemata id faciunt testatissimum. Ex Minerali regno non reperiuntur potentiora vitæ destructiva, cum ex hoc regno deprompta plane abludant à natura nostra, quam Mercurius acidorum additione causticus factus, Antimonii regulus ejusque vitrum, viride æris Venis risque Vitriolum, quæ cuncta & carnes & ossa corroendo produnt suam causticam & septicam acrimoniam. At vero non sufficit in veneno corrosiva & acris qualitas, verum etiam summa & stupenda partium tenuitas & exiguitas requiritur. Visitur illud ipsum manifeste in peste & iis malignis febribus, quæ

ex

ex miasmate contagioso originem suam ducunt; tenuissima enim quædam aura & vapor est, qui mediante aëre catholico illo effluviorum receptaculo vectus & cum saliva communicatus ad ventriculum descendit & mox in totius corporis sphærâ summas motuum vitalium anomalias producit. Quam exigua moles sit salivæ, quæ per canem rabidum, viperas, tarantulam, morsu vel ictu immittitur, facile intelligi potest; nihilominus atrocissima in toto Corpore pathemata subsequuntur. Ex omnibus metallica & mineralia, partium soliditate & firmitate constare videntur, nihilominus operationes validissimæ, quæ paucam portionem assumpti arsenici sublimati, vitri antimonii excipiunt, in dissitis etiam corporis regionibus satis superque ostendunt summam partium agilitatem ac tenuitatem; Minime enim hoc loco censendum est, dicta hæc ex mineralibus venena solâ corrosivitate & ventriculi ac intestinorum erosione suam ludere tragediam, cum notum sit & vulnera & ulceræ in hisce partibus consistere posse sine præsenti vita discrimine & atrocissimorum talis modi, quæ veneni naturam excipiunt, productione. Tenuis itaque & summe penetrans corrosivitas est, quæ tam potenter in præfatis venenis nocet, quæ totum corpus derepente pervolat, quæ nervorum ac membranarum porulis sese insinuat, subtilissimum ibi contentum fluidum in inordinatas motiones suscitat. Summa hæc partium tenuitas in causa quoque est, quod per medicinam tam ægre symptomatibus à veneno inductis auxilium ferre possit Medicus, Minutæ enim hæc nunquam moræ vel quietis sunt patientes, sed semper in perpetua mo-

B

tione

tione ac actione versantur, unde nec mutari nec ligari vel irretiri commode possunt: Neque Medicinæ eas in partes ac poros datur facilis aditus atque ingressus, qualem habent ob suam penetrantiam venena. Optandum itaque vehementer foret, ut ea, quæ specioso titulo vulgo alexipharmacorum celebrantur, melius suam in domando & emendando veneno proderent efficaciam, quam revera accidit.

§. 4. Evidem non me latet, moneri hic posse, cum ejusmodi stupenda partium exiguitate causticam virtutem non posse consistere: at vero qui non hospes in physicis est, facile animatvertet, propositionem hanc repugnare experientiae. Magnetis enim effluvia, ex solido corpore emanantia minutissima, per vitrum aliquot libris mercurio repletum, item triginta orbes stanneos operantur & acum ferream libere in ære suspensam movent. Unum granum plumbi ingentem massam argenti, unicum stanni granum magnam copiam auri ductilitate sua privare artis chimicae peritis non ignotum est. Veneris granum per Spiritum volatilem urinosum mirifice virtutem, tinteturam & saporem suum extendit. Ita quoque vidi apud Dn. Presidem exilissimam dosin pulveris vegetabilis uncias octo spiritus vini imprægnasse saturato pereleganti purpureo colore. Silentio transmittimus alia experimenta, quorum hoc vulgatissimum ad illustrationem nostræ materiæ meretur attendi, nempe pauca Zibethi effluvia naribus hystericae suscepta in momento animi deliquia cum strangulationis metu, & mirabilibus partium spasmis iuducere idonea esse, ex quibus merito concluditur cum tenuitate & subtilitate

litate partium earum texturam, figuram, virtutem  
utique subsistere posse.

§. 5. Ex hisce adductis perspicuum esse arbitror,  
non ab occultâ quâdam ideali spirituali vel astrali vi  
dependere venenorū agendi efficaciam, sed in sola  
magnitudine, figurâ ac dispositione partium mecha-  
nicâ collocatum eorum agendi principium esse; quæ  
fententia, ut clarior appareat, demonstrabimus solus  
texturæ immutatione venenum virulentâ suâ exui &  
contra, corpus vehementiæ pernicialis expers per-  
eandem rationem in formale venenum possè trans-  
mutari. Evidentissimè id videmus in Arsenico, Re-  
gulo antimonii & Mercurio sublimato, quæ potentissima,  
omnium consensione, sunt corporis destructiva,  
horum quodvis seorsim, quando cum sulphure metal-  
lico amicum init conjugium sicuti id conspicitur in  
magnete arsenicali antimonio regenerato & anna-  
bari antimonii, protinus omni virulentia orbantur,  
ut etiam tuto, imò sine noxâ intra corpus queant ad-  
mitti. Et contrariâ ratione nitrum & vitriolum in-  
noxia corpora sunt, quin imò magnæ efficaciæ reme-  
dia, nihilominus solo forti igne mutatâ eorum texturâ  
ac figurâ, in summe corrosivos liquores vertuntur.  
Aurum & argentum in pulvere sine damno imò cum  
effectu quodam laudabili propinantur; à spiritu nitri  
autem & spiritu salis paucâ quantitate, quæ per se  
non nocet in noxia & corrosiva concreta mutantur, id,  
quod multo magis conspicitur in argento vivo si ipsi  
additur spiritus salis, cum utrumque citra-damnum  
corpori humano possit offerri.

§. 6. Quodsi itaque, ut modo demonstratum est, veneni actio in solâ mechanicâ partium dispositione fundetur, & ex materiae duplicitate per se benignæ commixtione sifiti & de novo produci possit virulentia, quæ in solâ tenuitate partium causticarum acerrimarū consistit, quidni etiam vero simile ac possibile est, in corpore nostro diversis succis imò per imprudentem medicinam & medici incuriam variâ factâ mixtione resultare & progigni malignæ indolis principium morbosum posse. Cum autem notæ & characteres veneni quatuor à nobis notentur: nempe (1) summa partium tenuitas, (2) earum corrosiva acrimonia, (3) quod celeriter & in pauca mole per totum corpus motuum alterations & immutations præter naturam efficiat & (4) quod præstantissimis remediis non obtemperet; perspiciemus jam, an hæc ipsa opportunè præsenti nostro scopo ac negotio possint accommodari.

§. 7. Existimamus igitur (1) in variolarum & morbillorum morbo nec non purpurâ & petechiis posse à Medico generari formale venenum duplice ratione, si materiam in cute apparentem retrahat, & (2) si nimis calidis spirituosis & sanguinem exagitantibus utitur. Foveri dictos hos morbos à principio quodam materiali acris causticæ indolis, nemo dubitabit, qui consideret pruritum, fibrillarum cutis erosionem & stimulum illum, antequam materia foras ejiciatur in partibus membranosis, qui per vomitus, diarhœas, spasmos, anxietates tormenta sufficienter prodit. Quin imò medicamenta inviscantia, diluentia, acrimoniam contemperantia, acrem materiæ morbosæ genium satis patefaciunt. Quandocunq; mate-

materia hæc exitiosa cauſtīca ex ſangvinis oleoſi & viſcidi contextu explicata, decenter per cutis ſpiracula & & glandulas expellit, evaporat, in pure oleoſo probe contemperatur, placidè & tranquillè universa peraguntur ; Citißime vero lethale venenum produce-re poteſt Medicus, ſi transpirationem & per habitum cutis diſflationem hujus materiæ impediatur, quod tum per ingentem corporis refrigerationem tum per opia-ta aliaque ſedatur nimiā in copiā propinata, uti talia exempla nobis notiſſima ſunt, fieri facile poteſt : Mox enim hujus materiæ in corpus retroceſſionem, preſ-ſo pede ſequuntur, anxietates ſummae, virium prostra-tio, pulſus defectio, animi deliquium, delirium convulſio & mors, medicamentis niſi mox in principio admi-nistratis, raro felicem effectum præſtantibus. Cauſa, qnare tam virulenter ſeſe exerat materia hiſce in mor-biſ retropulſa, quæ tamen antea cum ſuccis & ſanguine mixta videbatur omni malignitate orbata, hæc nobis videtur, quamdiu principium, quod naturæ miro-cosmicae ſummo infenſum eſt, quale cauſticum ſpiri-tuſum ſub in volucro partium oleofarum deliteſcit, omni noxia activitate privatum eſt ; ſimulac autem ex hiſce ſeſe evolvit, explicat & ſui juris fit, indolem ſuam acrem canſticam prodere incipit. Tale jam ſi debitè per emunctoria expellit, omnia fauſtò atque auſpicato cedunt, quando autem talis materia in po-rulis ſubliſtens & moram nectens per continuum transfluxum materiæ ſubtilis æthereæ, iñteſtinamque agitationem ſubtilior & acrior redditur, & rurſus cum lympha & fluido nerveo ac ſanguine miſcetur, non ta-lem nexum qualem habuit, invenit, uti in inferioribus

fusus demonstrabimus, sed instar veneni subtilis, corpus pervadit, & truculenta symptomata & spasmos horribiles producit.

§. 8. Secundo loco principium illud tenue acre in variolis, morbillis, petechiis, imò purpura pectans, manifesta imbuitur virulentia, per intempestivum calidorum, saderiferorum & sic dictorum fortium expellentium abusum. Peccatur in eo toto die, dum imperitiores non modo per hypocaustum & lectum præcalidum, sed & medicamina, quæ sanguinem ascendunt, uti sunt volatilia oleosa regni vegetabilium & animalium præpostere vi quadam excretionem & ejectionem materiæ peccantis per cutis habitum urgent. Clarissime testatur experientia, imò hinc inde ex observationibus hanc in rem notatis constat, complures hoc modo fuisse imperfectos, qui poterant servari, utpote gravissima symptomata, nempe auxietaes maxima, haemorrhagiæ enormes, virium cum animi defectione eversiones, quin imo deliria, convulsiones horum incautum usum consequi plus vice simplici vidimus, cum ex adverso, si blandioribus temperatis, acrimoniam demulcentibus & quæ nimium ardorem deprimunt, morbus tractetur, universa felicitè eveniant, placideque ac tranquillè morbus sua decurrat tempora & laudabilis cum euphoria materiæ hostilis à sanguine fiat sequestratio & ad corporis habitum protrusio. Ex hisce patet optima & tutissima alias remedia, non legitimo tempore imprudenter adhibita, nocentissima esse.

§. 9. Causam singularis hujus effectus, si inquiramus non alia occurrit, quam quod per ejusmodi remedia

media materiæ dictis in morbis peccantis textura &  
 Κράσις ita invertatur ac immutetur, ut venenum æmuletur. Dictum fuit in superioribus, venenorū natūram in subtilissimā & penetrantissimā acrimoniā posītam esse. Jam autem sal acre dictis in morbis delinquerē nemo negabit; hoc igitur si motu intestino sanguinis calido, quem volatilia & sudorifera suscitant, excrementitia hæc salia, valde agitantur, atteruntur, sicque ad summum volatilitatis gradum accedunt, intimioris admissionis fiunt & sic plus danni inferent, quām antea sub textura crassiori. Accedit & illud, quod sæpius natura & conditio hæc nimii caloris sit, quod partes heterogeneas cum corpore mixtas non tam separat, quām intimus eas combinat atque conjungat. Perspicimus id clarissime in experimentis quibusdam chimicis. Ita exempli gratia sal tartari cum sulphure remixtum igne si tractetur & fundatur, sulphur non totum avolat in auras, sed firmiter implicitum manet, cum particulis tartari alkalinis, quod vel ex colore rubicundo, sapore tærido, & Tinctura sulphuris, quæ cum spiritu vini extrahitur, luculenter apparet. Simili ratione sulphur vulgare cum stanno, plumbō vel argento mediante igne fusum, etiam vehementissimo dato igne ab hisce non separatur, sed metallæ friabilia reddit & strictissime cum ipsis manet unitum. Quod si autem dictæ mineræ, vel salia alkalina sulphurata leni calore seu igne calcinatio subjiciuntur, sulphuris separatio & evaporatio comode potest obtineri. Quapropter etiam in corpore nostro vehementer intestinus calor fortes excrementias non tam separat, quām eas cum sanguine & lympha

arctius

arctius conjungit. Unde videmus secretionem & excretionem omnis materiae peccantis fieri magis sub calore sanguinis temperato & per blanda diaphoretica, quam sub magno ardore.

§. 10. Datur & alias modus, qui venenum dictis antea in morbis in corpore nostro constituat, qui est, si critica & salutaris excretio per medicamenta anodyna motum sistentia impediatur. Possem hic recensere aliquot mihi nota exempla, ubi in variolis plus justò adhibita papaveracea, theriacalia præcipitaverint ægrum, qui alias bene se habebat, in maximum periculum. Sic memini ante aliquot annos generosi juvenis ex variolis laborantis quæ benignè satis se habebant, cum autem præter necessitatem Medici medicamentis continuo utebantur, quorum præcipua virtus erat, incrassans anodyna, effectum est, ut præter omnem exspectationem juvenis circa diem decimum auxietate, sopore, tremore, convulsionibus fuerit correptus quæ sine omni dubio nisi maturem medicamentum analepticum & volatile discutiens fuisset propinatum, ægrum jugulassent, qui tamen per divinam gratiam fuit servatus. In puerarum purpura similes tragici casus mihi noti sunt, ubi Medici nimium utentes anodinis id effecerunt, ut anxietas, animi defectio virium langvor & insultus apoplecticus lethalis inde fuerit suscitatus. De malignis morbis & febribus res notissima est; opiata nempe hic vera esse venena. Observatione enim hoc loco perquam dignum est in omnibus morbis acutis, qui cum excretione juncti sunt Medicum peccare posse utroque modo, nempe vel nimium commovendo vel nimium motus

motus fistendo, illa ratione venenum in corporis succis remanet & subtilius redditur & sic etiam in corpore relinquitur accumulatur & morâ pejus redditur. Ex quibus clarissime intelligitur pendentem horum morborum medicationem in eo maximè sitam esse, ut sciat Medicus in temperato motu cuncta fervare sive motus moderari, excessivos compescendo langvidos autem revocando.

S. 11. Deinceps non modo in morbis acutis, verum etiam in Chronicis, dictis imo adhuc aliis modis fabricari in corpore venenum potest. Exemplo sit nobis scorbutus, ubi per experientiam deprehenditur, si sudores consveti, fœtidi pedum per adstringentia terrea v. g. calceis inspersa fistuntur, gravissime inde luere ægros. Ita vidimus vertiginem, dolores præcordiales, aurium tinnitus, auditus gravitatem, difficilem respirationem, ventris immanes torsiones, & vagos in artibus dolores ortos qui per plures annos nulla arte vel consilio abigi vel sanari poterant. Causa est conspicua, materia enim sudoris acris volatilis & vaporosa est, quæ ad extremos relegata artus majus ibi concipit vitium, hæc dum repellitur & vestigia sua relegit, nervosis partibus longe magis quam antea est infesta, & ægerrimè rursus vel corrigitur, vel evacuatur. Ita etiam comparatum est in quamplurimis aliis affectibus v. g. in podagra, ubi excrementa volatilia vaporosa & causticæ indolis ad membranas tendinoso, nervoso glandulosas, pedum articulos colligantes deferuntur; hæc si adstringentibus, poros obstruentibus vel nimia refrigeratione repelluntur ad interiora, non alia, qnam quæ ex veneno

neno solent profici malæ & symptomata sequuntur. Nempe fiunt exinde immanes dolores ventriculi & intestinorum, cardialgiae, asthmata convulsiva, febres, deliria, incredibiles anxietates, sopores, motio-nes convulsivæ, virium langvores alvique adstrictio-nes, quæ nec præstantissimis nec ulla arte vinci ac su-perari possunt, ut plerumque post diuturnas imma-nes passiones tandem fatis cedere cogantur. Latius, hæc omnia deducta & compluribus exemplis illus-trata leges in Differt. *Dn. Præsidis de Podagra retrocedente in corpus.*

§. 12. In scabie aliisque exulcerationibus & defœ-dationibus cutis, nec non capitis tinea & achoribus, se-rum falsum, acre in subcutaneis glandulis ac vasculis sit gnare & cutis fibrillas, erodendo destruere nemo inficias ibit: quam atrocia & veneni effectus, æquan-tia pathemata, hos excipient affectus si cutis constri-ctione facta, tum per nimia frigora, tum per poros ob-struentia & inviscantia ungventa, exitus materiæ ex-crementitiæ præpediatur, eaque in corpus repellatur res in foro medico notissima est. Communissima sunt febres acutæ imò malignæ, convulsiones, epile-psiae, asthmata tormina aliaque non admodum dis-familia pathemata, quæ à veneno hausto scaturire solent, *v. Miscell. Curios. Dec. II. Anno I. p. 93. & Dec. II. Ann. V. p. 451.* & Trincavellius Lib. II. Cap. VI. de ratione curandi partium corporis humani affectus: Causam cœcitatis à scabie re-tropulsâ obortam *vid. Dec. II. Ann. VIII. p. 255.* Ulcera diuturna si consolidentur, omisis internis depuran-tibus & evacuantibus in longè majus periculum con-jiciunt ægros. Instar omnium sit exemplum nobilis istius

Quatuor

istius; cuius *Timaeus à Guldenklee Lib. I. de affect. Capitis Casu XXVIII.* meminit. Cum enim hic ipse ab' ulcere multis annis durante liberaretur, elapso mense incidit in vehementissimos capitum dolores, in sputi foetidi per tussim rejectionem. Plura exempla collecta vide in *Miscell. curiosis Decur. II. A. V. p. 318. & Dec. II. A. VIII. p. 197.*

§. 15. Gravius autem venenum exsurgit, quando excrementitiæ salinæ volatiles sordes, quæ ad cutis habitum relegantur, intempestivæ facta inunctione mercuriali ad interiora pelluntur. Ita narrat *Riedlinus Lin: Medic: Anno 1696. Mens. Maij obs. I. de ancilla quædam quæ horrenda scabie laboravit, tandem post inunctionem binis vicibus factam iticidit in epilepsiam.* *Hildanus in Epist. ad Michaelm Doeringium, p. 1184.* refert nobilem arthritide nodosa & foeda serpentine laborantem unguento mercuriali inunctum fuisse, ex quo salivatio primum vehementior tandem gangræna & sphacelus, denique mors secuta sunt. Quænam mala funesta, cingulum mercuriale à sene arthritico, in remedium scabiei adhibitum, cum salivariione lethali secuta sint, pluribus refert *Hoechsteterus observ. Decur. III. Casu XI.* Nuper Lipsiæ studiosus scabie laborans, unguento ex Mercurio & sulphure eam tollere tentabat, inde autem in iliaca tornina conjectus fuit, quibus miserrime correptus, diem suum obiit. Et cum quotidiano compertum sit experimento, hydrargyrum foris illatum in corpore minus preparato & ubi languida transpiratio est, & impuris falsis excrementitiis sordibus cutis scatet, horrenda & lethalia saepius celerrime inferre pathemata, non aliter judicari potest, quam quod ma-

teria peccans non modo ex prohibita evaporatione, majorem pernitiem contrahat, sed & ab admixtione hydrargyri, quod unione cum salibus totum septicū fit, majorem fævitiam adipiscatur, unde commendatissima practicis, qui ad rebelles morbos domandos extrinsecus utuntur hydrargo, esse debet regula, ut omnibus viribus omniq; cura acrimoniam humorum temperent & motum sanguinis ad partes extremas seu habitum corporis dirigant, ne quid venenosī humoris execute in corporis penetralia transmittatur.

§. 14. Quemadmodum autem acuti morbi, ubi excrementorum acrum subtilissimorum copia peccat ex nimio sanguinis motu per volatilia sudorifera extiosissimam succipiunt naturam, ita etiam nonnulli Chronicī satis alias benigni, qui salinam acrimoniam pro causa & fundamento agnoscunt, mirum exacerbantur, deleteriamque indeolem contrahunt ex intempestivo volatilium abusu. Quartana morbus est extra controversiam periculi expers, nihilominus ex vehementi sudatione, frequenti volatilium usurpatione, degenerat in affectum periculi plenum dum capit is dolor & purpura incorrigibilis exinde saepi nascitur, notante id *Wedelio, in Amoen. Materia med. L. II. Sect. II. Cap. VI.* Febris tertiana præsertim epidemica ex principio salino acri bilioso, nostra sententia originem suam dicit, sive hoc ipsum per tempestatum anni præternaturalem constitutionem & inde pendens aeris vitium, sive per pravam diætam & respirationem interceptam in corporis succis fuerit productū, quod anxietatibus molestā vomitione, sensibus spasmodicis, labiorum exulceratione satis manifestat

festat. Hanc febrem, si quis ineptè tractare velit, per alexipharmacā, tinct. bezoardicas, salia, volatilia & aetū ac potentia calida sitim & calorem inextinguibilem cum delirio provocabit, & simplicem facile in duplēcē, intermittentē in continuam transmutabit. Consentit quoque hanc in rem *Wedelius* l. c. qui scribit, à spiritibus volatilbus C.C. & viperarum in intermitentibus adhibitis eas redditas fuisse continuas: ita & *Excell.* *Rivinus* Præceptor ætatem colendus mihi retulit, de studio quodam tertiana laborante qui singulis paroxysmis bezoardicæ tincturæ portionem assūmisserat, & inde se in febrem continuam cum summo ardore & siti conjecerat. Hac præterita æstatae vidi cura perversa, & spirituorum abusu tertianam mutatam in malignam cumpetechiis & purpura, quæ ægram extinguebat.

§. 15. Scabies satis benignus morbus est, si rectè tractetur, per nimis calida verò & sudorifera exitialis reddi potest. Facit hanc in rem nuper notatus casus: Vir honestus scabie per plures annos vexatus, quærebat ubivis auxilia, sed incassum; sua sum tandem fuit Laconicum balneum, quo per aliquot dies usus est, & largissime sudavit, quo autem vires largissime consumit, quas infirmas restaurare tentabat liberaliori vini Seckt haustu; fefellit autem successus, & mox in febrem malignam cum petechiis & purpura alba, qua etiam extinctus fuit, incidebat. Lues venerea à caustico putredino & coagulante principio foveri, symptomatum ortus ac genesis edocet. Notum autem nobis est exemplum, ubi juvenis 24. annorum, truculento hoc malo afflictus ob continuum sudoriferorum usū ab empirico administratum, irreparabilem virium defectum

fibi contrahebat, doloribus, convulsionibus hinc inde  
partes occupantibus, quibus tandem mors succedebat.  
In mentem quoque hic nobis venit casus, ubi mulier ex  
mammarum cancro ad ulcerationem prono laborabat  
periculose, cuius perniciem volatilibus alexipharma-  
cis crebrius propinatis edomare quærebat Medicus.  
pauco autem tempore miserrima mulier pu-  
stulis valde dolentibus, tumentibus, per totum corpus  
diffusis corripiebatur, subsecuto virium langore, syn-  
cope & morte. Adeo fixæ corrosivæ indolis materia  
intestinâ motione nimis exagitata & subtilis redditæ,  
instar veneni per totum corpus penetrat & noxam  
infert præsentissimam. In praxi quid magis occur-  
rit, quam quod scorbuticorum fixa salia, per essentias  
& spiritus præcalidos specierum & herbarum antiscor-  
buticarum in volatilitatis statum redacta, & penetran-  
tiora redditæ, in instanti, auxietates, dolores, ardores,  
nervosarum partium concussions non sine vitæ peri-  
culo causentur?

§ 16. Datur præterea aliis modus, quo Medicus  
imperitus in morbis ab acrimonia salina ortis, vene-  
noſam in corpore progignere possit materiam. Vi-  
delicet inter omnes convenit, arthriticos dolores à fe-  
ro tenui falso acri membranas articulorum rodente  
excitari. Jam verò si quis per purgantia caustico sale  
perfusa, morbum hunc tollere intendat vel salinæ pro-  
fapiæ remediis copioſe utatur, ex facili virulentí quip-  
piam producere valebit. In hujus sententiæ illustra-  
tionem non possum non brevibus recensere histori-  
am, quæ ante aliquot menses sese obtulit *Dn. Presidi.*  
*Juvenis* hic loci viginti sex anorum in servitiis illu-

(23)

strissimi viri constitutus, temperaturæ admodum cholericæ, corripiebatur arthritide vaga cum calore præternaturali, hic dolorum & temporis quod legitima exigit cura impatiens, empirici ope utebatur, qui brevi dolorem se extingvere velle promittebat, quem in scopum sæpius administravit purgantia fortiora, nec non pulveres salinos, & quod notabile fuit, pro ordinario potu, acetum vini cum aqua & sacharo commixtum commendabat. Melius elapsa septimana se habere visus est æger, utpote dolores artus deserebant, tandem ab omnibus quasi immunis, veste se induebat & ambulare volebat. Insequente autem nocte præter adstantium opinionem gravissimis pathematibus torquebatur, delirabat vehementissime & membra hinc inde convulsionibus agitabantur, & inter eas spasmus cynicus horribilis per multos dies conspiciebatur, caruit omni somno & cibo, pulsus æqualis, sed fatigatus vehemens & paulo creber notabatur: Plura fuerunt in cassum usurpata, tandem visus morbus est quasi in furorem transisse, dum stupendo robore instructus perpetuò ridebat vel cantabat, blasphemias atroces eructabat, & ex fenestra se præcipitare moliebatur, adeò ut vix à tribus hominibus potuerit contineri. Perseverarunt hæc cuncta per 14. dierum fermè spatium. Tandem pulvis mineralis, qui ex regulo antimonii medicinali, mercurio dulci, Nitro, Camphora paucis guttulis adjectis essentiæ castorei & opii, compositus erat, repetito usu mirabilem & divinam fermè tulit opem, utpote mox post ejus usum, dolor pristina loca occupabat, & manus abominabili tumore inflatae conspiciebantur, per totum quoque corpus sudor,

qui

qui nullâ arte prius poterat extorqueri apparebat. Quo factō successive symptomata illa gravissima expirabant, convulsiones definebant, & menti ratio reddebatur: memorabile autem est, pulverem hunc diarrhæam, lenem tamen simul concitasse, quæ per septimanam fermè durabat. Interea æger analeptica & laudabili diæta nutritus vires & sanitatem divina gratia recuperavit perfectam. Nullum hic dubium est, præpostera medicione truculentam hanc naturam induisse affectum, utpote purgantia, acrimoniam causticam, veneno analogam, sali morboso addunt, & dum serum laudabile, quod diluendo ejus ferociam minuit, detrahunt, & sal à conveniente cutis emunctorio introrsū ad viscera revocant, non potest non inde ratione acrimoniæ & penetrantiaæ suæ multum augeri: Neque improbabile est salina remedia, quæ minus quadrant morbis à sale ortis, symbolum suum hic addidisse. Quamobrem non sine ratione purgantia in podagra & arthritide maximoperè damnat *Sydenhanius Lib. de Podagra*, dum scribit; *Tam mei ipsius, quam aliorum periculo compertissimum habeo, catbarsin quovis tempore administratam, ita parum votis respondisse, ut malum, quod debabant averuncare & avertere accenserent.*

§. 17. Ultimo loco subjiciendum adhuc aliquid est, circa mercurialium usum: hæc ipsa imprudenter intrinsecus adhibita, gravissimam non modo virium jaéturam, sed & imminens periculum producunt, & veri veneni naturam exactissime quandoque æquant, præsertim si in scorbuticis subjectis & in morbis salinis improvide usurpantur; etenim vehementer, imò cruentas dejectiones cum atrocibus tormentis fœdam &

spha-

sphacelosam oris salivationem contracturas tremores, convulsiones, tristibus id testantibus exemplis non rarò excitant. Non alia atrocium hujusmodi symptomatum indagari potest causa, quam quod atomi mercuriales in corpus diffusæ ad mixturam salium in limpha contentorum corrosivam & virulentam naturam induant, non secus ac illud accidit in Mercurio sublimato; quapropter prudentiores practici ab omni Mercurialium usu abstinent, nisi corporis fluores probè fluxiles redditi & à salibus fuerint depurati; Et eum in finem etiam convenientissimè inter lignorum decocta & balnea ad rebelles morbos edomandos, mercuralia tām interne quam externe solent adhiberi.

§. 18. Ex iis omnibus, quæ hactenus in medium adduximus, evidentissime apparere arbitror genuinum & formale venenum, tam natura quam agendi vehementia tale, Medici culpa in humano corpore posse produci atque elaborari, idque variis modis, qui tamen omnes in eo conspirant, ut salia morbosa acri & erodentis indolis vel nimium subtiliando augeantur vel morā acriora in emunctoriis redditâ revocentur aut diu in corpore detineantur nec debite eliminantur, vel etiam per aliâ corrosiva adjecta eorum virulentia adaugeatur: Quod tum nimis volatilia spirituosa tum opiate, purgantia, mercurialia & quæ transpirationem liberam intercludunt præstant, qua de causa etiam atque etiam monendi sunt medici, ut cautissime cum dictis in sanandis morbis mercentur, & magna prudentia iis utantur, ne plus damni quam emolumenti ægrotantibus afferant,

§. 19. Postremo è re quoque fore duco ut quædam subjungamus circa correctionem vel expulsionem talismodi veneni pernitiosissimi , quod de novo ex Medici errore in corpore fuit productum . Dictum autem jam fuit in superioribus, tenuissimum quidem esse illud principium, at summa potentia motus infestum, quod ægerime in loco, vel à materia quadam detineri, corrigi vel immutari possit. Unde Medicamenta venenum per habitum corporis diffusum alterantia pauca vel plane nulla adhuc cognita sunt, sed quicquid hoc loco à Medicina exspectandum est, id in eo fere unice consistit, ut subtilis hæc acrimoniam sanguinifinnata blandissime tractetur, neque vi sed successive & leniter ex glandulis subcutaneis expellatur. Si quæ autem ex remeriodum genere laudem merentur, certe adversus ómnia cujuscunque naturæ venena, palmam mihi præripere videntur, acida ex vitriolo vel sulphure & Nitro elicita, unde mixtura simplex & solus Spiritus Vitrioli cum pauca quantitate spiritus eboris mixtus , item Spiritus Nitri dulcis rite præparatus, omnibus aliis alexipharmacis nobiliorem exerunt virtutem, hæc namque blandoroborant & expellunt, & acre subtile sal figunt atque enervant. Omnim acidorum ea natura ac conditio est, ut tenuia salium spicula septicæ indolis figant atque infringant, quod vel evidentissime patet in drafficis emeticis & purgantibus, quorum vis per acidos spiritus penitus domatur atque extinguitur. Insuper magnificimus ad cujuscunque generis venenatos morbos curandos nitri usum inter pulveres terreos sic dictos bezoardicos & Cordiales, utpote in Nitro singularis

laris delitescit virtus acrimoniam sulphuream volatillem mitigandi : mediante nitro ipsum antimonii vitrum & Regulus deposita sua virulentia, diaphoretica evadunt & ipsum veneris vitriolum septicum fusione cum nitro per ignem mansvescit ; unde in morbis malignis & quavis acrimonia etiam quæ vomitiones, diarrhæam tormina movet , nitrum moderata dosi cum bezoarticis terreis mixtum levamen solet afferre desideratissimum. Tandem etiam omnia diluentia mucilaginosa incrassantia, uti sunt gelatinæ emulsiones, decoctæ ossium,dentium , ex animantium genere sumptorum nunquam non in infringendis faliis spiculis & sic virulentia emendanda operam locare solent præsentissimam. Ubi tamen monendum & anti-spasmodica præsertim ex succino, Croco, Castoreo de-sumpta non esse omittenda.His & similibus qui non laude dignum quid in memoratis affectib, præstare potest, certe aliis etiam speciosissime excogitatis id non efficiet. At cum angustia temporis circa nobilissimam hanc materiam ulteriora prohibeat, hisce meditationibus cum gratiarum actione divina imponimus finem.

\*\*\*\*\*  
NOBILISSIMO DN. CANDIDATO  
S. P. D. PRÆSES.

**S**CITÈ non minus quam verè ait *Plato* : Quævis ingenia studia ardua & seria non attingunt, ideoque judicio prudentiâ & præscripto eorum qui multo usi triti & magna cum lande in arte versati sunt niti, dirigi & confir-

firmari juniorum conatum oportet. Sapientissimura  
 hoc senis dictum si ulla in arte vel scientia, certe in Me-  
 dicina est commendandum; Quanta enim opinionum  
 ibi dissensio atque discordia est, ut pené nihil ratum &  
 constans nihil firmum & perpetuum appareat, quoad  
 morbi causas, remediorum vires, medendi variam  
 methodum. Quam difficile est, occasionem agendi in  
 medendo arripere, quam fallax etiam Hippocratis  
 consensione experimentum & difficile judicium est?  
 Qua de causa ex hisce nemo facile emergere poterit,  
 nisi qui prudenti & exercitato Duce & Magistro utatur,  
 qui veram viam, quæ plana & simplex neque multis  
 nec perplexis obscuritatibus & difficultatibus immer-  
 sa est fideliter discentibus trādat ac monstreret. Hoc no-  
 mine, Clarissime Dn. Candidate Tibi effusè gratulari  
 debo, quod præstantissimos & fidelissimos, in Lipsien-  
 sium per celebri Academia Viros ac Duces nactus  
 es quorum per decennium fere consilia secutus the-  
 faurum doctrinæ in Theoreticis & Practici solidissimæ  
 longum illud tempus maturitate judicii ac scientiæ  
 compensando, Tibi comparaveris. Nihil jam superest,  
 quam ut eas, quas in Te præpotens Numen, condidit re-  
 dotes in ejus gloriam inque proximi salutem, unicè de-  
 stines & cumulatis simē impendas. Quem in finem gra-  
 tiā Dei T. O. M. quæ ad auspicatos successus sub-  
 inde per necessaria est, ex pectoro roto  
 Tibi appreco.





Sapientissimum  
ntia, certe in Me-  
enim opinionum  
ne nihil ratum &  
appareat, quoad  
iedendi variam  
fionem agendi in  
iam Hippocratis  
ile judicium est?  
mergere poterit,  
Magistro utatur,  
ex neque multis  
cultaribus immer-  
onstre. Hoc no-  
i effuse gratulari  
ssimos, in Lipsien-  
ac Duces nactus  
nsilia lectitus the-  
ractici solidissimæ  
udicii ac scientiæ  
Nihil jam supereft,  
umen, condidit re  
salutem, unicè de-  
hem in finem gra-  
os successus tub-  
ectoro roto

